



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Viæ malæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

caelestem sit præiens vita, & observatio mandatorum Dei tibi esse debeat suavis instar cantilenæ. *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* Pl. 16. Hoc non tantum in sensu litterali, sed & morali accipe. *Legem pone mihi Domine in via tua, & dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.* Pl. 22. Mundum, carnem, Dæmonem animæ meæ insidiantem. *Beati immaculati in via* (in statu viatorum) *qui ambulant in lege Domini.* Pl. 118. *Ducam te per semitas equitatis, quas, cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum.* Prov. 4. *Semita hæ sunt consilia Evangelica. Gressus sunt inclinationes animæ, quæ per gratiam Dei dilatatæ incitant ad currendum ita in via perfectionis, ut inordinati motus supprimantur, nec ad eos offendas.* *Angelis suis Deus mandavit de te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Matth. 7. Quam multa puer juvenis vir senex habuisses quoad corpus & animam infortunia! nisi tuus Angelus Custos id præcavisset. *Non declines ad dextram* [ob inordinatum affectum erga hoc illud] *neque ad sinistram* [ob aversionem erga hoc illud] *sed per viam, quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis, ut vivatis, & bene sit vobis.* Deut. 2.

Via male.

Relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrasas. *Quorum via perversa sunt, &*
V 2 *infa-*

460 *Pars secunda de elevatione*
infames gressus eorum. Prov. 2. *Via stulti recta*
oculis ejus. Prov. 12. *Spatiosa via est, qua du-*
cit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per
eam. Matth. 7. *Est via, qua videtur homini iusta,*
novissima autem ejus ducunt ad mortem. Prov. 14.
Hic cogita de parabola illa senioris & junioris
fratris incidentium in manus latronis. Qui
morti adjudicavit seniore, quod secutus fuisset
junioem viam latam & spatiosam praeli-
gentem; & juniorem, quod fratrem suum se-
niorem ad eam ineundam seduxisset, qui alias
judicarat viam angustam & spinosam esse secu-
riorem. Applicatur parabola ad animam, qua
se à corpore ac carne seduci sinit. *Novit Do-*
minus viam justorum, & iter impiorum peribit,
Pl. 1. *Errare fecit eos in invio, & non in via.*
Pl. 106. Moraliter & physicè loquendo, quan-
do semel à via recta deflexisti, unus error trahit
alterum. In inferno damnati hanc inferunt se-
quelam; *Ergo erravimus à via veritatis.* Sap. 5.
Antecedens posuerunt in vita hac malè vivendo
improvidi ac stulti dialectici. *Non est Deus in*
conspetu illius, inquinata sunt via illius in omni
tempore. Pl. 9.

Salutaris monitio pro itinerante.

PRæter itinerarium Clericorum (quod tan-
quam communes Ecclesiæ preces magni fa-
cilio sapissimè in evidentibus periculis fructum
ejus expertus) commenda te Angelo tuo Cu-
stodi, qui in ducem tibi pro anima & corpore
datus